



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Chronologiae Veteris Testamenti Accvratvm Examen  
Augustißimæ, Invictissimæq[ue] Domui Austriacæ  
Dicatvm**

**Philippi, Henricus**

**Coloniae Agrippinae, 1637**

Divo Ferdinando II. Piissimo, Invictissimoqve Caesari I. Avgstissime Rom.  
Imperator, Domine Clementissime.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64340)



DIVO  
FERDINANDO II.  
PIISSIMO, INVICTISSIMOQVE  
CAESARI.

AUGVSTISSIME  
ROM. IMPERATOR.  
DOMINE CLEMEN-  
TISSIME.

**V**i primi hominem pulchro nomine par-  
uum Mundum appellarunt, pari venu-  
state aspectabilem hanc Mundi machi-  
nam gigantum hominem nuncupare  
poterant: adeo mirifice consentiunt sua utrisq; par-  
tes, tempora, et aetates. Ac Mundi quidem infantiam,  
sub Adamo; pueritiam sub Noëmo; adolescentiam  
atq; iuventutem, sub Abrahamo & Moysse decur-  
sam: reliquum vite spatium deinceps sub reliquis  
Principibus confectum omnes agnoscunt. At in pe-  
riodis

\* 2



## EPISTOLA

riodis etatum, siue Mundi, siue hominum, tot & multiplices trica inuoluuntur, ut Alexandro opus sit, qui Gordium nodum secet potius, quam exsoluat. Etsi verò non tantum vel roboris vel ingenij, in me esse agnoscam, ut nodos in rationibus implexos, vel rescindere, vel penitus omnes euoluere possim: studia tamen rerum Chronologicarum, quæ ad sacrarum literarum intelligentiam facerent, dignissima semper existimaui, quibus aliquid opera serio impenderem. Quare quocumque irem, eas curas circumtuli, partim in Imperio, partim in Hungaria, Austria, Morauia; Augustissima T. Ma.<sup>m</sup> Aquilâ umbram ubique mihi auramq; facilem prabente: quo siue praesidio, siue ornamento excitatus, ecce tandem spatia primorum temporum, sub quatuor illis Mundi potentissimis, sapientissimisq; Optimatibus transacta, & quam exactè potui, à me Chronologiae radio in ordinem digesta, ad T. Ces. Ma.<sup>m</sup> sacrarium sisto: rebar enim, omne illud, quod ad pietatem, Religionem, fortia priscorum heroum facinora, ac diuiniore in primis literas spectaret, Casari tum pijsimo, tum fortissimo futurum minimè ingratum. Neque verò, quod in Orbe est uniuerso vulgatissimum, ignorare poteram,



## DEDICATORIA.

ram, Sac. T. Ma.<sup>m</sup> in Academiis fundandis, stabi-  
liendis, exornandis, verè Casaream liberalitatem,  
in tractandis præterea libris, si quando gravissima,  
tot regnorum, tot bellorum negotia paterentur, incre-  
dibile studium, paremq; studio sapientiam. Quo per-  
tinet providentia Tua laus illa singularis, quod Au-  
gustissimos filios, FERDINANDVM III.  
Hungariae & Bohemiae Regem, ac Ser.<sup>m</sup> LEOPOL-  
DVM VVILHELMVM, in Sapientia stadium,  
tua voluntate ingressos, ita exemplo, mutuaque im-  
pulsione animasti, vt non de Philosophia, Iurisque  
studio duntaxat, palmam retulerint: sed in difficili  
etiam sacra Chronologia circo, præclarum animi ad-  
res omnes viris Principibus dignas nati, specimen e-  
diderint, Teque, MAXIME CÆSAR, spectante,  
& meritò ob felicem Liberorum cursum gaudente,  
alijs ardentem lampada tradiderint: quod gaudium,  
vt diu gaudeas, vitam continenter istius rei memo-  
riam, tam diu hæc mea lucubrationes excitabunt,  
quam diu atatem & famam, si quam merentur, fe-  
rent. Taceo hic Aug.<sup>m</sup> T. Ma.<sup>m</sup> in nostram Societa-  
tem benevolentiam, tot comprobata argumentis,  
tot meritis exaggeratam, vt non modo calamos de-



## DEDICATORIA.

prædicandis Tuis beneficijs; sed animos ipsos comprehendendis, longè esse impares fateri cogamur. Et alij quidem grandiora atque perenniora gratæ mentis monumenta statuent: ego ex tenui meo are, hanc interim opellam meam humilimè offero, locupletissima voluntatis testem, auiculas imitatus, quas ad magnificentissimum Delphici Apollinis templum, cum nihil haberent opulentius, plumas, uti & apes ceras attulisse ferunt. Accedit adhuc, quod quia contentiosum est huius meæ scriptiois argumentum; non deerit fortasse ex Aristarchorum gente non nemo, qui hunc Commentariolum, aut allatret, aut mordeat, nisi Augustalis Aquila penna protegant, præstentque quod olim appensa Leopardi pellis Antenori, & filum coccineum Mulieri Ierichuntina, præsidium atque tutelam.

Nunc vive, CÆSAR (neque enim hisce ineuntis anni Calendis possum, quin ex communibus omnium bonorum votis auspicato ominer) vive, vive pius, felix impera, facque uti hætenus effecisti, ut Austriacam potentiam maximè ab  
aui-



EPIST. DEDIC.

*auita Religionis studio efflorescere, ipsi hostes vel  
Tua Clementia deuincti, vel armis victi fateantur.*

*Vienna Austria, Calendis Ianuarij. ANNO DOMINI*

*M. DC. XXXIII.*

Augustiss.<sup>re</sup> Ma.<sup>is</sup> T.

humilimus cliens & seruus in Christo,

Henricus Philippi



\*\*\*\*\*

APPROBATIO

R. P. PROVINCIALIS.

**E**go Georgius Forro, Prouincialis Soc. Iesu, per Prouinciam Austriae, potestate ad id mihi facta, ab Adm. R. P. N. Mutio Vitellesco, Societ. nostrae Generali Praeposito, facultatem concedo, vt *Nota & Quaestiones Chronologica in Pentateuchum Moysis, cum Tractatu de Olympiadibus*, compositae à R. P. Henrico Philippi Soc. nostrae Theologo, & eiusdem Societatis doctorum virorum iudicio examinatae, & approbatae, typis mandentur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & nostri officij Sigillo munitas dedimus. Leobij. 4. Iunij 1632.

GEORGIUS FORRO.

